



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput IV. De Effectibus artis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

turæ thesauri, quos Auctor ubique profundit Deus, ut omnes assurgant in ejus laudem & amorem. Qui propius examinant hunc lapidem nobis non visum, rationes hujus effectus dabunt speciales; præter generales hæcenus expositas hæc nihil addimus.

CAPUT IV. De Effectibus artis.

Arti materiam & vires subministrat natura, & vicissim hæc ab arte in multis juvatur; artis enim opera fiunt per motum, & dispositionem materiæ: utrumque dat natura, & ars duntaxat ferè concurret directivè. Sic regulæ artis in intellectu artificis illum dirigunt ad faciendum, v. g. horologium; materiam autem & vires motrices, quibus illud efficitur, habet artifex à natura, quin & motus horologii habetur à ponderibus, aut à vi elastica naturali. Idem dicendum cum proportione de aliis artibus tam factivis quàm activis. Vicissim tamen, etsi ars non possit immediatè opera naturæ producere per seipsam, potest nihilominus naturam juvare, atque directivè ac mediatè opera naturæ effecere, applicando activa passivis. Sic ars ostendit modum miscendi ac præparandi medicinam, quæ dein naturaliter sanitatem restituit, quæ mediatè arti adscribitur. Sic arte Botanica citius produci possunt fructus & flores, diversi etiam coloris. Sic superius glaciem artificiosè confici posse diximus æstate media. Sic in fornacibus Ægyptiacis ex ovis excluduntur pulli &c. Ex quibus patet, artem, cujus opus non est merè intellectuale, uti est opus logicum, ad opera sua concurrere duntaxat directivè, non physicè: & ipse Artifex in suis operibus artis aliud physicè non efficit aut producit, quàm impetum, motum & ubiicationes diversas, ex quibus cum aliis à natura resultat opus artis.

S. I.

De Chrysopeja.

Inter varia opera, quæ ars potest effecere, adhibendo etiam, quantum potest, vires naturæ, controversantur inter se potissimum Physici, an ars conficiendi verum aurum extra cavernas terræ & propriam matricem sit possibile? Resp. esse saltem moraliter impossibile: quia illud est moraliter impossibile, quod ab innumeris infano, longissimo & accuratissimo studio tentatum nunquam vel rarissimè speratum habuit effectum; talis est Chrysopeja, uti patet 1. ab experientia, quæ plurimi hac in arte irritò conatu plus auri distillarunt, quàm consistarunt. 2. Testimonio Chymicorum Paracelsi, Arnoldi, & aliorum, quos refert Kircherus in Mundo subterraneo. 3. Auctoritate Joan. XXII. in Extrav. quæ incipit: *Spondent, quas non exhibent, divitias pauperes Alchymista.* ubi usum auri per artem hanc confecti prohibet. 4. Quia hac in arte præcipui artifices nec in modo loquendi, nec in modo operandi, nec in materia unquam conveniunt, improbante uno, quod approbat alter: ergo signum est, hanc artem esse saltem summè difficilem. Volunt quidem Alchymistæ aliqui, aurum fieri per lapidem Philosophicum, qui virtutem habeat metalla in aurum transmutandi;

fed in ipsa compositione lapidis Philosophici diffident plurimum, nec constat talem lapidem feliciter produisse.

An autem Chrysopeja etiam physicè impossibilis sit, nec auisim affirmare, neque negare; deberet enim magis innotescere auri natura, ejusque conficiendi modus, ut aliquid hac in re statui posset. Interim Auctores magna contentione in partes oppositas distrahuntur: qui possibilitatem affirmant, has habent rationes. 1. Aurum jam arte productum est: ergo est possibile. Antec. uti habet Delrio credi debet viris fide dignis, qui hoc testantur. Sic referunt Arnoldum Villanovanum aureas virgulas arte chymica produxisse, quas omnium examini subjecit in aula summi Pontificis. Item in arce Londinensi ostenditur numus aureus, quem jussu Regis confecit Raymundus Lullus. Antonius Tarvisinus coram Gritto Venetorum Duce mutavit argentum vivum in aurum. Similiter Florentiæ ostenditur clavus, media parte ferreus & mediâ aureus, quod fieri debuit per artem chymicam. 2. Possunt per artem chymicam alia metalla transmutari. v. g. ferrum in chalybem aut cuprum, æs in orichalcum, plumbum in stannum: ergo & in aurum. 3. Possunt per artem extra uterum maternum generari viventia: ergo etiam aurum extra terræ gremium. 4. Hoc non repugnat ex parte causæ efficientis, qui est calor; nec ex parte materiæ primæ, quæ est ad omnem formam indifferens; nec ex parte materiæ secundæ, quæ dicitur esse sal, sulphur, & argentum vivum, atque etiam antimonium; nec ex parte formæ, quæ conjungi potest cum materia, modò adsint dispositiones debitæ. 5. Id saltem sciunt Angeli, qui nobis hoc possunt manifestare: ergo Chrysopeja est possibilis.

Partem negativam sequuntur alii, putantes æquè esse difficile, ut aurum extra terræ venas & viscera generetur, quàm ut generetur ex vino sanguis, aut ex pane caro extra corpus animalis, quod posterius videtur physicè impossibile. Id confirmant 1. quia ex tot viris, qui se huic negotio impenderunt, nullus est, qui, etsi de hac arte multa scripserint, illam attigerit aut vulgavit: signum igitur est, nunquam fuisse inventam, & probabiliter nec inveniri posse. Addunt alii, quòd si hæc ars fuisset possibilis, saltem illam scivisset Salomon; non igitur aurum ex terris longinquis per triennalem navigationem quasisset, aut saltem aliquam de ea fecisset mentionem, uti fecit de aliis. 2. quia causæ auri probabiliter ex providentia Dei non sunt in potestate hominis: ergo &c.

Ad rationes in contrarium, dicunt ad 1. plures viros paris auctoritatis testari, plerosque Alchymistas fuisse hæcenus deceptos aut deceptores; quòd de pluribus est certum, quorum merces tandem fuit patibulum. Deinde aurum illud confectum, quod S. Thomas vocat sophisticum, defecit plerumque in quinque qualitibus à vero. 1. in virtute medica. 2. in pondere. 3. non est ita ductile in laminas & fila. 4. colorem faciliè amittit. 5. vim ignis & quorundam liquorum non ita sustinet, saltem si sæpiùs per ista probaretur; unde ejusdem usus fuit à Joanne XXI prohibitus. Quòd si aliquando verum aurum per artem prodit, cum illud fuerit in modica quantitate, censendum est jam latuisse in materia, quam adhibent, & tantum fuisse separatum, quod utique per artem est possibile: nam Kirchero teste hac ætate deprehensum est, vix esse metallum aut minerale, cui non aliquid auri vel argenti admixtum sit, quod etiam affirmat de aliis, & patet in variis arenulis.

Ad 2. om. ant. negant confeq. quæ non valet, sicut nec valet ista: ars potest variis modis destruere reliqua metalla: ergo & aurum, quod tamen teste Boylio à multis frustra tentatum est. Deinde dicunt, mutationem ferri in chaly-

chalybem aut cuprum esse tantum accidentalem, orichalcum vero à miscello metallorum genere non differre, nec esse majorem plumbi & stanni varietatem quam accidentalem; quatenus stannum magis defæcatum est, aut addito argento sublimatum; at aurum eam perfectionem habet, quæ in miscellis per artem adhibitis non continetur. Ad 3. negant aut. quia cum per calorem in fornace ex ovo excluditur pullus, jam vivit ovum, quod non est generatum extra, sed intra uterum maternum. Ad 4. retorquent argumentum in exemplis de carne & sanguine superius allatis. Deinde negant suppositum, quod sciatur, quænam sit causa, materia secunda, & dispositiones ad aurum requisitæ, quod patet ex ipsa Alchymistarum hac in parte discrepantia, adeoque non potest statui, an & quomodo aurum repugnet, vel non repugnet. Ad 5. dicunt, vel non esse probabilius, quod Angeli possint verum aurum conficere, vel quod saltem id non possint homines, quanvis modum ab Angelis intelligerent; quia nempe Angeli possunt plura penetrare, pervadere, movere & miscere, quæ non possunt homines. Hanc in rem legi potest D. Lemery, qui in suo cursu chymico materiam hanc pertractat Parte 1. cap. 1. ibique approbat hanc Alchymicæ definitionem: *Ars sine arte, cujus principium mentiri, medium laborare, & finis mendicare.*

Sed erit forsitan, uti fuit nonnemo, qui diceret, Philosophum Academicum non posse judicium ferre de Philosophia Circumforaneorum, qui apud vulgus & auri sacram famem præ cæteris Philosophi nomen, & si superis placeat, etiam scientiam habent: horum enim alia sunt principia, alia materia, alius loquendi modus, quem non intelligunt Academici. Quisquis ita loquitur, palam ostendit se non esse Philosophum; quasi vero Circumforanei excogitassent aliquid, quod universalibus Philosophiæ principiis non complecteretur! an pro auro aliam habent materiam, quam primam aut secundam? si primam, utique hæc homogenea est vel heterogenea, simplex aut composita in partibus suis minimis: si secundam, utique est ad corpus aliquod sensibile determinata: quam invenient aliam Circumforanei? Dein conficiendi modus est, vel per commixtionem, vel per separationem, vel per novam productionem: quis superest alius? Jam loquantur, si sint Philosophi, & experientur, utrum Academici non eos possint intra Philosophiæ suæ spheram compingere: quod si obmutescant, ut plerique solent, faciant artis suæ experimentum, & tunc non quidem scientiæ claros, sed saltem aurifices & artifices compellabimus, quanquam ego, qui impossibilitatem non asserui, utrumque titulum iis concedam lubentissimè, si tamen loquentes audiero, & videro facientes.

Judicium Academiae Regiæ.

Addo hic judicium Academiae Parisiensis Regiæ, ubi in confesso habito die 15. Apr. 1722. sequenti invectione in Alchymistas detonuerunt, quam in compendium sic latinè redigo: Fuere semper aliqui, qui perstreperent in excæcatis Alchymistas, quos cupiditas redigit ad incitas, nec unquam satis contra hanc insaniam declamare possumus; etsi enim spes non affulgeat eos curandi, quos morbus hic corripuit, aut auri cupidos dedocendi: utile tamen est eos, qui sanioris sunt mentis, instruere, & ab hac contagione tueri. Jam olim Kircherus & alii vanitatem & fraudes Paracelsi, Vanhelmontii, Lulli, Fludii, aliorumque Circulatorum demonstrarunt: interim repullulant quotidie, & quod pejus est, inveniunt fidem, nec impostor est, qui non habeat stolidum

lidum sui admiratorem. Quoties ejusmodi Circumforanei decipiuntur ipsi, aut imponunt aliis ! In fumum ferè abeunt omnia, aut si quid auri remaneat, illud priùs vel præstigiatrice manu immittunt, vel in elixirio aut pulvere palliant, vel intra virgulam aut calicem fusorium recondunt, aut aliter immiscent, millèque modis spectantium oculos perstringunt, &c.

Tum Eminentiss. Card. Polignac, qui in eo confessu præsidebat, notam addidit censoriam, comparatione facta inter Chymiam & Astronomiam: utraque hæc ars aut scientia, ajebat ille, est utilissima; sed utraque etiam suas habet chymæras, sua præcipitia, suos scopulos, in quos impingunt frivoli: immoderatum futura sciendi desiderium facit, ut Astronomia degeneret in Astrologiam vanam; sicut immodica divitiarum cupido Chymiam detrudit ad insanos indagandi lapidis philosophici conatus. Hæc nempe est conditionis humanæ miseria, ut etiam tributum pendatur errori!

Hac occasione ostendit C. Geofroy Chymista celeberrimus, qua ratione fieri possit per ferruminationem sine metallorum transmutatione clavus media parte aureus, mediâ ferreus, qualem olim admirabatur Hetruria: item numismata media parte aurea, mediâ cuprea aut argentea, vel quorum facies diversorum sint metallorum. Addidit item alia tum ex se, tum ex D. Lemery magni itidem nominis Chymista, quibus confutantur Chymistarum abusus. Hæc illi.

§. II.

De Arte Magica.

ARs magica seu Magia vox est Persica, quam illi ferè accipiunt pro Sapiëntia, & perfecta rerum naturalium cognitione; unde & Magi ab illis appellabantur, quos Græci vocant Philosophos. Magiam in genere dicit P. Mart. Delrio, quod sit ars seu facultas vi creata, & non supernaturali, quædam mira & insolita efficiens, quorum ratio sensum & communem hominum captum superat. Et hæc Magia triplex est, naturalis, artificialis, diabolica.

Magia naturalis nihil aliud est, quàm Philosophiæ naturalis summa & perfecta cognitio, quâ qui sunt instructi causarum naturalium vim & activitatem studiosius perspectas habentes, mira quædam naturæ effecta efficiunt. Tale est illud, quo initio convivii media hyeme semina lactucarum, spiritu vini priùs imprægnata, dein jacta in terram præparatam, & temperato calore excitatam, sub finem epularum exhibent enatas lactucas, quibus vesci possunt convivæ. Similiter calefit aqua sine igne sensibili, si vas æneum rotundum unico apertum foramine impleatur ad æqualitatem viva calce & sulphure, ac foramine obturato in aquam demittatur. Tale etiam est atramentum magicum, & alia innumera, de quibus per totam Physicam.

Magia artificialis nihil aliud est, quàm peritia singularis mira quædam opera efficiendi, singulari potissimum dexteritate & humana industria: distinguitur à naturali; quia licet artifex in magia artificiali utatur naturæ viribus ad aliquid efficiendum, plus tamen ad illud confert ars & industria quàm natura, quod in magia naturali aliter evenit. Magia artificialis subdividitur in tres: alia dicitur Præstigiatrix, alia Divinatrix, alia Mathematica. Præstigiatrix seu Circulatoria est illa, quâ solent Circulatores ita spectantium aciem perstringere, ut illudant oculis & plebeis imponant, dum videntur incredibili dexteritate

te multa facere, quæ tamen revera non faciunt, ut cum videntur ex digito ovum extrahere, ex naso pomum, corpus ense transfodisse, vittas varii coloris ex stomacho per os educere, incredibilem aquæ quantitatem ebibere, & alia id genus bene multa, quæ rustici & pueri impensè mirantur. Divinatrix est illa, quæ multa futura & præterita ex variis observationibus & signis coniectantur, qualia sunt de tempestate futura, alibi referenda, aut ex cognitione indolis, constitutionis corporis, & similia, cui multum inservit Physiognomia, Chiromantia &c.

Magia artificialis Mathematica est illa, quæ matheseos ope mira quædam fiunt, quæ in admirationem vulgus & doctos trahunt; talis est Automata, cujus directione per pondera & clateria fiunt statux mobiles, uti fuit thronus Salomonis, qui deprimebatur, cum Princeps federet, rugientibus interea aureis leonibus, qui thronum sustentabant, avibusque concinentibus in vicina aenea arbore confidentibus, cum thronus elevaretur. His adde Magiam hydraulicam, quæ ope aquæ: pneumaticam, quæ ventorum vi: pyrotechnicam, quæ ignis beneficio mira fiunt; imprimis autem numeranda venit Algebra, quæ reconditissima quæque solvit problemata: imò omnes Matheseos partes ad magiam artificialem conducunt plurimum. Hac de re videri potest noster P. Schottus, Kircherus, & alii.

Tertia est Magia Diabolica, vulgò Magia nigra, quæ mira quædam longè supra hominum captum & vires patrat ratione pacti cum Dæmone initi, aut expliciti aut taciti: expliciti quidem, quando aliquis cum Dæmone pactum init, quo Dæmon promittit quibusdam in circumstantiis & ad certum quoddam tempus se illius arbitrio obtemperaturum; cui vicissim homo se devovet æternæ felicitati renunciando. Impliciti verò seu taciti, quando quis ad certum quemdam finem obtinendum utitur mediis insolitis, quæ nullam proportionem, nullamque connexionem habent physicam cum illo fine. Ratio est, quia tunc necessariò exigit concursum aliquem extraordinarium: ergo vel Divinum vel Diabolicum: non Divinum, tum quia Deus, juxta illud Script. *Non tentabis Dominum Deum tuum*, non præstat suum concursum extraordinarium ad arbitrium cujuscunque hominis, & pro quocunque fine intento, plerumque etiam inhonesto, aut saltem momenti nullius; tum quia non solemus opem Divinam hujusmodi mediis & modis ridiculis implorare, aliter ab ipso Christo orare docti: ergo talis exigit concursum Dæmonis, quamvis subinde videatur uti signis aut verbis sacris, quibus tegatur fraus Dæmonis. Tales sunt illi, qui utuntur ineptè illa oratione Christophoriana, ut acquirant pecunias, aut cribri volutatione, ut furto ablatas investigent. Similiter qui nocte Nativitatis Domini, aut S. Joannis Bapt. ridicula quædam præstant, ut acquirant aliquam scientiam, aut cognoscant sponsum futurum, aut &c.

In particulari autem semper decidere, an hinc & nunc interveniat pactum Dæmonis, difficile est; ad hoc enim opus est, ut quis distinguat effectum diabolicum à miraculoso & naturali, ad quod requiritur, ut perspectam habeat scientiam rerum naturalium, & simul distinguere possit sacra à profanis: quædam enim fiunt naturaliter, quædam à Deo vel immediatè, vel mediantibus Angelis bonis, quæ non rejicienda sunt, ut illicita & superstitiosa. Sic multa sunt, quorum usus est in Ecclesia Dei, quæ ex Dei beneficentia singularem habent virtutem, uti sunt Cruces, Reliquiæ Sanctorum, aut eorum imagines, quædam verba sacra, uti est Evangelium S. Joannis, aqua lustralis, & alia similia, quibus uti pium est & laudabile. Talia autem sacra à vanis & profanis distin-

guun-

guuntur, tum per hoc, quòd sint approbata Auctoritate Ecclesiæ, tum ex ipsa eorum origine & modo, quo usurpantur: si enim interveniant certæ figuræ & characteres ignoti, verba apocrypha aut ridicula, observatio certorum rituum ceremoniarum superfluarum, indifferentium ac impertinentium, aut conditiones vanæ & absurdæ, signum est, talem virtutem non Deo vel Angelis bonis attribuendam esse, sed esse superstitionem, aut vanam observantiam, aut &c. Ita evenit, cum aliqui volunt Evangelium S. Joannis, quod gestant, scriptum esse oriente sole, & includi potius in pyxide quadrata quàm rotunda, & sexcenta alia, quæ videri possunt apud Delrio supra citatum, qui hac de re præclare scripsit.

Uti autem difficile interdum est discernere inter miraculosum & præstigiolum vel superstitiosum, sic etiam difficile est subinde decidere, utrùm effectus habeat causam naturalem vel Diabolicam; quia nempe natura miris modis operatur, nobis sæpiùs occultis. Sic multa referuntur de virtutibus sympathicis & antipathicis, de radicibus & herbis certo tempore collectis, de quibusdam lapillis in pera gestatis, variisque remediis & antidotis, ac mira quandoque illorum applicatione, in quibus nec statim detegi potest causa naturalis, neque negari: videmus enim, quòd magnes naturaliter, licet modo occulto, attrahat ferrum, magnetem polus, sol heliotropium, Cobra venenum, succinum paleas, aurum mercurium, naphtha ignem, morsum Tarantulæ dicitur sanare muſica &c. Cur igitur non possint dari virtutes aliæ similes, occultæ quidem, sed tamen naturales? talia crediderim nec posse admitti omnia, nec rejici; ut autem discernantur, opus est singulari scientia rerum naturalium, & omnium, quæ interveniunt, consideratione. Sic probabile non videtur, annulum silo appensum, & in scyphum demissum posse horam pulsû naturaliter indicare; nulla enim hujus effectûs naturalis connexio fatis apparet, quod exinde patet, cum quis in confiniis Germaniæ & Italiæ, ubi diversæ pulsantur horæ, tali annulo utitur: quomodo enim fieri posset naturaliter, ut in hoc pago pulsetur hora 1. in altero proximo 19? an mutatur arteriæ pulsus, qui aliter filum impellat? sed cur & qua ratione, ut conveniat horæ? Hæc & similia insignem Physicum requirunt.

Interim quæri potest, an effectus Magiæ nigræ sint veri vel apparentes? Resp. multos esse veros, quos scilicet Dæmon producit applicando activa passivis: cum enim perspectam habeat virtutem causarum naturalium, & insuper omnia possit pervadere & invenire, talium effectuum productio non est eidem difficilis. Multi tamen effectus sunt duntaxat apparentes, quatenus scilicet Dæmon oculos intuentium perstringit, aut aliis sensibus illudit, vel phantasmia perurbat &c. ut cum Magi videntur devorare currum cum equis & auriga, quando sagæ videntur ingredi januis clausis, aut per fenestrarum rimas, aut simul esse in duobus locis &c. tales enim effectus, cum superent vires totius naturæ, fieri non possunt à Dæmone realiter, sed tantum apparenter: adeoque Dæmon in suis effectis utitur magia naturali & artificiali, in qua utraque est peritissimus; aliquid verò supernaturale non potest producere. Igitur cum dicimus effectum à Dæmone productum non esse naturalem, sumimus naturam prout complectitur duntaxat causas creatas corporeas & sensibiles; nam propriè loquendo etiam talis effectus naturalis est, cum Dæmon etiam sit causa creata, adeoque effectus non superet vires totius naturæ creatæ: est tamen illicitus, quia fit opère Dæmonis, Dei & nostri hostis infensissimi, cum quo non licet habere commercium relicto Creatore.

Si quæras ulterius, quid ergo Dæmon tandem efficere possit? Resp. illum posse, nisi Deus & Angelus Custos, qui propterea frequenter invocandus est, impediat, illa omnia, quæ naturaliter per motum effici possunt; entitatem autem ab impulsu distinctam immediatè producere non potest. Hinc 1. licet non possit actum voluntatis, utpote liberæ, de se exprimere, potest tamen hominem vehementer tentare, sanguinem, bilem, aliòsque humores, aut spiritus animales agitando, movendo phantasmata &c. unde etiam excitando species revocare potest in memoriam præterita, aut eas variè combinando docere plurima: species tamen omnino novas juxta communem non potest immediatè producere, adeòque nec scientias, quæ ab iis dependent immediatè infundere; proinde si visio fiat per species impressas, non potest cæco colores repræsentare. 2. In corpus potest plurima, illud vel lædendo, vel impellendo, venena occultè ingerendo, absurdissima quæque in stomachum immittendo &c. Certè experientia teste à maleficio affectis egesti sunt interdum per os clavi, globi, fordes, & alia turpissima, quæ Dæmon vel intromiserat integra, vel sensim collecta interiùs composuerat. Vidi ipse ex cujusdam lingua, inflammatione tumida, & prominentiis turgida extrahi complures aciculas: tum alio die, me quidem non præsentem, multis tamen aliis spectantibus, facta incisione in alia corporis parte, extractæ sunt à celebri hujate Chyrurgo diversi generis quisquilæ, quæ implendæ capsulæ suffecerunt, quam etiamnum asservat. Potest etiam Dæmon sensibus illudere, illos variè titillando vel objiciendo species varias, aut istas ab objectis emissas impediendo &c. 3. In entia inanimata potest etiam plurimum, scilicet cogere nubes, ciere tempestates, terræ motus, facere statuas loquentes, uti sunt oracula Ethnicorum; verbo illa omnia, quæ à motu naturali & combinatione dependent, nisi Deus impediat.

CONTEMPLATIO V.

De Mundi Magnitudine.

Magnitudo & extensio considerari potest ut finita, & ut infinita: Rursus finita consideratur ut potens fieri major in infinitum, aut in infinitum minor. Labyrinthus hic est humani ingenii; nec mirum, si inter infinitum se extricare non possit mens finita, cum sæpius in limitatis cæcutiat: conatus ramentum nostris exigit hæc quæstio, de qua sæpius redit sermo.

CAPUT I.

De Infinito.

§. I.

Infiniti Definitio & Divisio.

Infinitem vix clariùs explicari potest, quàm si dicatur illud, quod caret fine in eo genere, in quo est infinitum. Sic quia in pœnis damnatorum nunquam

P

quam